
LAVRENTII GAMBARAE BRIXIANI

CAPRAROLA.




ROMAE,

Apud Franciſcum Zanettum.

M D LXXXI.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM CARDINALEM.



NON Orientis opes cupio, fascesve, nec annos
Nestoris, aut valida regna subacta manu.
Sit mihi sat laudesq. tuas, & facta tuorum,
FARNESI, nostris texere carminibus:
Sit Caprarolæ sedem dixisse superbam,
Qua nullum Europa clarius extat opus:
Viuere & hanc vitam sub te, mea lumina donec
Aeternam in noctem clauserit alta quies.



AD ALEXANDRVM Farnesium Cardinalem.

Laurentij Gambaræ Brixiani

CAPRAROLA.



VM nos te canimus, præclaraq. facta tuorum,
Et positam Cimini lętis in collibus arcem,
Farnesiæ gẽtis sidus, columenq. meumq.
Præsidium, & semper summis exercite rebus
Maxime ALEXANDER: tu vati assiste canenti,
Hic inter gelidos fontes, platanumq. comantem,
Gratior æstiuos qua temperat aura calores,
Et nemorum placidis percurrit flatibus vmbras.
Aduentu tepidi veris lætissima tellus,
Aggeribus modo quæ niueis obducta rigebat,
Fronde noua, & multo aspirans fragrabat odore,
Atq. cateruatim subter nemora alta volucres
Lætæ exercebant mira dulcedine cantus
Desuetos ob longam hiemem, siluasq. niuales,
Et noua carpebant stabulis armenta relictis
Gramina, & e viuis hauribant fontibus vndas:
Cum Ladon (cui mille greges ad flumen Helori,
Tercentum & tauri supra latera alta Pachini
Pascebant virides herbas) dilecta reliquit

 Littora

Littora Trinacriæ, genero comitatus Aceste,
In primis consanguineos vt cerneret, vtq.
Ante alias Vrbem egregiam, sceptrisq. potentem;
Quam vetus Hetruscis interluit Albula lymphis.
Magnorum hic postquam vidit monumenta Quiritum
Disiecta, & prolapsa solo, rerumq. ruinas
Ingemuit, dirum exitium miseratus, & vrbem,
Arripuitq. viam tendens ad Thybridis amnem,
Hospitij memor antiqui; visurus eosdem
Mane locos, cum iam pulsis aurora rediret
Crastina sideribus, lux atq. immissa tenebras
Discuteret piceæ noctis. Tunc Thybridis altas
Exigua rate vectus aquas tranauit, Aceste
Sicanio comite: & magni deuenit ad hortos
FARNESI, quorum custos erat Vmber Helenor;
Tectaq. confestim sera sub nocte petiuit.
At custos cari aduentu lætatur amici;
Atq. vtrumq. iubet domini succedere tectis.
Protinus hos mensis, gazaq. accepit agresti.
Tunc læti inter se dapibus vescuntur inemptis,
Et rebus, quas hortus heri fœcundus alebat.
Postquam pulsa fames, sublataq. rustica mensis
Pocula, & agrestes epulæ, sic orsus Helenor:
Quæ, Ladon, tibi causa viæ? quo tenditis ambo?
Dic age quid venias. an sors te aduersa fatigat;
Inuitumq. alios cogit te quærere fines?
Nam cœpere tuo capiti canescere crines.
Quàm lætor te nunc subijsse hæc regia tecta?
Non scelus eluimus, reddit cum talia Ladon;
Nec nos exilium patrijs à finibus arcet.
Hanc nos consilio vnanimes accessimus vrbem.

Est hic & cantu, & calamis præclarus Acestes,
Et lati diues fundi, nemorumque, gregisque;
Qui gener est, sociusq. viæ, pariterq. laboris.
Sanguine coniunctos nobis huc venimus ambo
Visere, & hanc præclaram Urbem: nos nauita ab oris
Sicanijs patrius Tyrrhena per æquora vexit
Thybridis ad Tusci fauces: pontoq. remenso
Ille idem in patriam Tyrrhena per alta reducet:
Cras & eris noster comes, & dux, hospes Helenor.
Interea fuscis cum nox iam nigra tenebris
Obducat cælum & terras, surgamus, & vna
Corpora iam placidæ demus defessa quieti.
Tunc Ladona petijt dextra, comitemq. sinistra
Hospes, & hæc inquit: Cum Sol cras prima relinquet
Littora, & has circum lustrabit lumine ripas,
Addam me vobis socium, & per singula ducam:
Nec toties audita mihi narrare pigebit.
Hæc ait, atq. illos stratis, thalamoq. locauit.
Sed postquam Sol tellurem, cælumq. reuisit
Crastinus, actutum stratis, placidoq. sopore
Corripiunt sese; atq. domos mirantur, & hortos
FARNESI, & iuxta labentes Thybridis vndas.
Tunc custos horti lætus sic fatur Helenor:
Hæc domus, atq. horti sunt inter flumen, & altum
Ianiculum positi, quos tu prope conspicis. est fons
Deducens liquidas Tiberino a gurgite lymphas,
Hosq. rigans virides hortos, ceu riuus abundans.
Mœnia sunt Libyam contra, qua Septimiana
Est regio. his nostris non Africus ingruit oris,
Siue calore graui premitur, seu frigore tellus:
Seu placidi spirant Zephyri, non æstifer vrit

Hos hortos canis; at semper viret humida tellus.
Hunc cerne Alcidem Atlantis vasta ferentem
Pondera, & æthereos axes, duodenaq. signa.
Has olim PAVLVS *subter* FARNESIVS *vmbras,*
Omnes qui sacro populos, gentemq. regebat
Romanam imperio, toties conuiuia duxit,
Vel iuxta hunc fontem, fluuiyve ad Thybridis vndam,
Tempore quo Thybris felix in lata fluebat
Aequora, & hanc claram placidis decursibus Vrbem
Scindebat, lætusq. suo gaudebat alumno.
Aspice & hæc veterum conuiuia læta deorum;
Quos olim incassum coluit gens inscia recti,
Quæ pinxit Raphael Vrbinas clarus in arte
Picturæ, atq. etiam sublimia tecta, viasq.
Hortorum, & varijs redolentes floribus hortos.
Augurat & mea mens eadem felicia secla
Esse olim reditura iterum, lætamq. per Vrbem
Collibus impositam septem fluet Albula lætis
Vorticibus, cum magnanimum de stirpe nepotem
Prospiciet PAVLI *Lauinia regna tenentem.*
Sæpe & ALEXANDER *sedem hâc inuisit, & hortos,*
PAVLI *ipsa de prole satus; lumenq. Senatus*
Purpurei; & totos horti per compita Soles,
Aut subter platani frondosa vmbracula condit.
Aspice odoratum citri nemus: aspice poma
Aurea, quæ non sunt vigili seruata draconi.
His semper ramis partim sunt mitia, partim
Immatura virent: nec desit fertilis arbos,
Omnigenos fert ipsa suo quo tempore fructus.
Hic & humus vario florum perfusa colore
Ridet, & increpitat tarde surgentia veris

Tempora, & Hesperijs spirantia flamina ab oris.
Sed Veris producit opes, herbasque, prius quam
Adueniat Ver purpureum, Zephyriq. tepentes.
His dictis, Tiberis tranarunt flumina cymba
Exigua, celsas sedes, & regia tecta
Visuri, quæ iam PAVLVS FARNESIVS olim
Condidit, hac quondam clara regnator in vrbe.
Tunc admirantur referentia marmora viuos
Herculeos vultus, stricto & mucrone sub altis
Porticibus stantes nudato corpore Thracas.
Zetus hic, Amphionq. intorto spumea fune
Indomiti bouis ora tenent, sæuamq. nouercam
Inuisam matri arripiunt, longeq. furentis,
Atq. reluctantis toto cum corpore Dircen
Fune ligant collo tauri, miseramq. fluentem
Proiecere in aquam, quæ Dirce nomine dicta est.
His etiam hospitibus comitem sese addidit Idas,
Romulidum priscos doctus cognoscere vultus,
Quos olim è saxo sibi finxit, & ære vetustas.
Alloquitur comites custos sic arcis Helenor:
Has solido varias spectate è marmore formas.
Hic sunt egregij ciues, quos inclyta Roma
Produxit claros olim terraq. marique;
Quorum hic sunt capita Oebalio de marmore tantum.
Hoc caput vltoris Bruti est: stat Cæsaris illic;
Pompei stat parte alia; iuxtaq. Cupido,
Quo non Ausonia tota est formosior alter.
Hic Pan Dametam calamos percurrere labro
Edocet, egregius fama quem Batrachus olim
Cælauit lapide ex Phrygio. hic Cypris Amori
Eripit e manibus arcum: procul aspice Ladon,

Delphinum dorso puerum super alta ferentem.
Hæc rerum est Natura parens, e marmore viuo.
At postquam cuncta hæc illis monstrauit Helenor,
Ille viam secuit Capitolia ad alta Quiritum.
Dumq. irent, celsa aspiciunt testudine templum,
Templum operosum, ingens, quod relligionis amore,
Diuini & cultus studio inflammatus, in Vrbe
Condit ALEXANDER mira FARNESIVS arte;
Quod nostra, & ventura olim mirabitur ætas.
Deinde alacres intrant renouata palatia montis;
Romulidumq. vident bello parta inclyta regna,
Atq. ex ære lupam, præbentemq. vbera natis
Ex Rhea quondam genitis; vbi marmore Cæsar
Cælatus, pariterq. Augustus, & Herculis ingens
Ex ære effigies. hic Bruti, hic signa Quiritum
Plurima sunt, partim e saxo, partim ære nitenti.
O Ladon, olim celebratam hanc aspice rupem
Tarpeiam, quam nunc pascuntur equiq. gregesque.
Hac in parte forum Romanum conspice; vendi
Nunc solita hic certis armenta, gregesq. diebus.
Aspice Auentini sedem, quo Cacus abegit
Alcide (vt perhibent) tauros: & multa domorum
Tecta vbi sunt, vada scindebat tunc lata paludis
Nauta rate hos inter præcelso vertice colles.
Tantum tempus edax valet, & longinqua vetustas.
Valle erat hac olim tenebrosa atq. alta vorago;
In quam vectus equo, saltu se Curtius armis
Incinctus dedit, afflictæ commotus amore
Ante alios patriæ, quæ se magnoq. timore,
Et luctu soluit, terræq. coiuit hiatus.
Hanc summĩ partem montis liquere, petuntq.

Partem

Partem aliam, qua Romulidis dat iura Senator;
Ad comitesq. suos inquit conuersus Helenôr:
Hi læua, ac dextra positi de parte gigantes,
Fluuiorum duo sunt simulacra e marmore, quorum
Bellando vicit Romana potentia terras.
Hæc autem PAVLI *est niueo de marmore imago*
FARNESI: *hic quondam mitis moderator in Vrbe*
Qui fuit, & rerum prudens; cui sponte dicauit
Hoc Capitolina simulacrum in sede Senatus
Romanus, populusque, quod instaurauerit Vrbem
Romulidum, multasq. vias quod strauerit; illasq.
Ornarit; quo pestiferas non amplius auras
Roma auctore timet, prius vt miseranda timebat.
Hæc est effigies pario de marmore magni
GREGORII, *qui dum ius sacra hac redderet vrbe,*
Iustitiam semper coluit: mox vectus ad altam
Pontificum sedem, placidis inflectit habenis
Hanc vrbem; quæ nunc tanto sub principe floret.
Aureli ex ære effigiem mirantur equestrem;
Septimijq. vident monumenta, & fortia bello
Fornice in excelso facta, & præclara trophæa
Parta manu, & varios habitus, atq. arma, tubasque:
Ferratoq. vident disiectos ariete muros.
Deinde Palatini vertunt ad culmina gressus,
Et grato accepti hospitio, sic fatur Helenor:
Hic locus est, vbi longæuus Rex condidit olim
Euander primas arces, lætusq. recepit
Hospitio profugum Aeneam. hic magnus ab oris
Hesperijs rediens olim Tirynthius ędes
Inuisit, quas tunc Euander Graius habebat.
Hic erat imperij sedes; hic sceptra tenebant

Romulidum primi Reges: hic proxima cælo
Templa Iouis Statoris erant. hic parua Quirini
Regis erat domus, atq. aliorum tecta Quiritum
Ardua, fulta auro, & Phrygijs decorata columnis.
Hic sedem egregiam, rerum dominator habebat
Augustus; montisq. sub hac radice fluebat
Tyrrhenus Thybris, qua Dardanis Ilia natos
Indoluit fluuio expositos; quos Faustulus alto
Aspectans limo, qua parte recesserat amnis
Sustulit, infantesq. lupa nutricis alumnos
In stabula alta tulit, præberet vt vbera coniux.
Pons erat hic etiam, qui coniungebat vtrosq.
Hos colles, qui fornicibus, pariterq. columnis
Marmoreis innixus erat: vestigia cuius
Certa extant nunc: hos inter fundarat asylum
Romulus, hac vos parte etiam spectabitis hortos
A dextra partim irriguos, queis maximus olim
Circus erat, quo certamen nauale solebant
Romulidę, inq. lacu belli simulacra ciere.
Hæc montis pars, quę Tiberim, Capitoliaq. alta,
Romanumq. forum spectat, concessit in vsum
Hortorum; tecta oblectant hęc diruta quondam
FARNESIVM. Posthinc digressus monstrat Helenor
Parte alia templi vestigia plurima Pacis;
Fornice & excelso Solymę spolia inclyta gentis,
Et candelabrum, & diuini fœderis arcam:
Bissenos spectant fasces, totidemq. secures:
Et Constantini præcelso in fornice pugnas:
Conspicuumq. altumq. Titi, & patris amphitheatrum.
Inde Quirinali viderunt colle superbos
Quadrupedes; & virgineos gener hausit Acestes
Cum

Cum socero lætus latices: Neruæq. columnas
Traiani, atque Antonini, iuuenisq. theatrum
Marcelli, & tumulum Augusti, molemq. Adriani.
Deinde viam carpunt ad culmina Vaticani;
Pyramidemq. vident inuicti Cęsaris, ędemq.
Egregiam excelsamq. Petri, cum luce sua Sol
Stellantis medium spatium superasset Olympi.
Et templum ingressi submisso poplite summum
Aeterni patris numen venerantur; & illud
Immensum mirantur opus. Mox inquit Helenor:
Tertius hanc statuit PAVLVS FARNESIVS aram:
Hanc sibi pręterea effigiem fuluo ex oricalcho
Cęlatam tumulo imposuit; quę lęta referret
Ipsius ora senis, sacriq. insignia regni.
Aspice & hanc aram, sub qua venerabile patris
Est Nazianzeni corpus; circum aspice molem hanc
Tænario tecta e saxo, geminasq. columnas,
Insigniq. locum pictura, vt cernitis, auroq.
Ornatum & signis; opus admirabile magni
GREGORII, genuit quem Felsina, regia quondam
Lydorum sedes: humili qui transtulit ipsum
Ex tumulo, & tumulum dedit hic, aramq. dicauit,
Prouentusq. dedit multos, posuitq. ministros
Qui facerent rem diuinam, canerentq. diebus
Continuis laudes patris omnipotentis ad aram:
Atq. illos cantu voces inflectere iussit,
Et numeris sociare suis pulsa organa palmis.
Hic fudere preces genibus MARIAEQ. Deoq.
Aeterno vnanimes flexis. tu respice, & audi
Has nostras pater alme preces, daq. insuper vt nos
In patriam incolumes felix tua dextra reducat.

Et tu stella maris, duce qua non territus horret
Nauita puppe secans freta formidata Charybdis.
Alma Dei genitrix rege nos: age tu quoq. ad aures
Nazanzene refer hæc summo nostra parenti
Tenuia verba licet, vt nos foueatq. tegatq.
Adueniat donec nostræ meta vltima vitæ.
Mox celsas superant sedes, atq. aurea summi
Tecta patris; quibus inspectant cincta atria longis
Porticibus; sedesq. Pio iam principe Quarto
Insubri erectas, atq. addita mœnia monti.
Hic vbi Laocoonta vident; Phœbumq. sagittas
Tendentem; atq. alias cælato ex marmore formas.
Hæc vbi sunt spectata satis, descendit Helenor
Cum socijs; portamq. petit, sedesq. superbas
Visurus, quas Tyrrhenus fundauerat olim
Septimus his nostris Clemens Etruscus in oris:
Principibus loca grata, canis cum letifer alto
Se tollit cælo, & rapidis coquit æthera flammis:
Non longe qua pons Tiberini Miluius alto
Fluminis herbosas coniungit fornice ripas.
Hic primum ante fores inuitat Helenora custos
Hospitio, comitesq. simul; subeuntq. superbis
Porticibus; quos ille manu complexus vtraq. est.
Dum vero mensas ponit prope murmura fontis,
Atq. epulas parat agrestes Laurentia coniux
Almonis (cui ruris erat data cura beati,
Hortorumque, domusq.) viros ducebat Helenor
Compita per, longasq. vias, subterq. virentum
Siluarum ramos, & per vineta, cauasq.
Conualles; variosq. ortus monstrabat aquarum,
Quæ passim humectant beneolentes floribus hortos,
Et

Et stagna efficiunt, quibus innatat humida ponti
Progenies, gaudetq. nouis colludere lymphis;
Signaq. prospiciunt viuos imitantia vultus:
Quorum oculos spectata diu pictura tenebat,
Quam tecti interior paries sublimis habebat.
Singula sed postquam læti aspexere, reuisunt
Almonem, quos ipse domi expectabat. at illos
Vt vidit, celer occurrit, dextraq. prehensos
Adducit, positisq. iubet discumbere mensis;
Qui dapibus, simul & grato sermone fruuntur.
Ut vero sublatę epulę, sic fatur Helenor:
Si vobis sedet hoc, cum terras lux noua Solis
Lustrabit, nitidoq. dies albescet ab ortu:
Hinc Caprarolę celsas tendemus ad arces,
Quas struit insignis fama FARNESIVS inter
Siluarum longos tractus, montesq. Capenos.
Hanc prius æthereo quàm Sol decedat Olympo,
Optatam à nobis non fessi intrabimus arcem.
Tunc contra Ladon paucis respondet, & infit:
An magis optarem patrios inuisere colles,
Has an vulgatas vtroq. a littore sedes
Oceani, dubia est nostræ sententia mentis.
Sed tamen hanc arcem visendi immensa cupido
Me tenet, & generum pariter. nam sæpe Nealcem
Audiui, qui pascit oues per prata Panormi
Florea, tollentem cęlo surgentia tecta
Hortorum, & pariter laudes rurisq. canentem,
Atq. Aegocrenes fontem, paritérq. perennes
Fontis Acidaliæ picto sub fornice lymphas.
Tunc Almo, Surgamus, ait; nam roscida luna
Fulgentis passim cæli spatia ardua pulsat:

Et

Et fessi optato se composuere cubili.
Iam reuoluta dies matura luce rubebat;
Et iubare infuso lucescere cœperat omnis
Terrarum, & pelagi tractus, radiantiaq. alti
Tecta poli; cum sopitos somnos excitat hospes.
Illi alacres surgunt stratis, quibus Italus Almo
Monstrat iter breue per colles, florentiaq. arua.
Deuenere nouas sedes, operosaq. magni
Atria FARNESII, cum Sol decliuis ad oras
Flecteret Hesperias sese, noxq. atra rediret.
Mox superant placidum collem: Tuscumq. Lycormam
Texentem inueniunt frondosa vmbracula fontem,
Fontem Aegocrenes circum, rigidaq. secantem
Siluestres serra truncos, scissisq. flagella
Summa immittentem fœcunda ex arbore ramis:
Insita vt e proprio trunco, tunc fertilis arbos
Ignotas frondes, ignotaq. poma sub auras
Efferret, decora hortorum, siluæq. virentis.
At postquam ante oculos conspexit Helenora custos,
Hortorumq. domusq. opera interrupta reliquit,
Atque illum amplexus medium, sic ore profatur:
Te Vere aduenisse nouo quam lætor Helenor,
Vt possis hortos florentes cernere, nuper
Quos nostræ coluere manus: quoq. ordine flores
Sint positi, vel culta quibus mage gaudeat herbis
Area, & vt sepes niueo intertexta ligustro,
Et lauru, myrtoq. pari. nam cetera nostri
Communis iussu domini distincta videbis.
Hæc fert purpureos Autumni tempore flores
Area lata croci, qua non fœcundior ulla
Est circum hos lætos colles, longinquaq. circum

Hæc loca: non illum florentem interficit aut mus
Agrestis, vel talpa nocens, aut noxia monstra,
Quæ passim terra alma creat sitientibus aruis.
Et sicut Veris decus est rosa, sic crocus ipse
Autumni decus est, pictis cum floret in hortis.
Sed quia sera dies vna cum Sole recedit,
Et duplicat densas nemorosis vallibus vmbras,
Ad sedem tendamus iter. Tunc inquit Helenor:
Adduxi mecum hos socios, qui Dædala signa,
Atq. hortos, dominiq. domos ad Thybridis amnem
Viderunt, & tecta alta olim, nunc diruta passim:
Has etiam duce me cupierunt visere sedes,
Quas olim Siculus laudauit sæpe Nealces,
Et pastorali vexit super æthera cantu.
Tunc horti custos fatur sic ore Lycormas:
Has inspecturos ædes non miror ab oris
Trinacrię venisse viros: nam seu coquit agros
Sirius, aut passim grauibus rubet vua racemis,
In glacie seu vertit hiems stagna alta Padusæ;
Seu cum terra tumet Zephyro spirante; frequentant
Visendi has studio sedes Romanus, & omnis
Ausonia, atq. Tagi quisquis bibit accola fontem;
Quiq. bibunt Ararim, Rhenique, Istriq. fluenta.
Mox celsas subiere domos; mensamq. Lycormas
Consortem thalami iussit sub aperta parari
Atria, quæ spectant Nepetam, Soractis & arces
Aerias; illosq. iubet discumbere mensis.
Tunc coniux Aegle celso sub fornice lychnum
Suspendit, struit & mensam, libumq. ministrat
Conditum melle Hyblæo, & beneolentibus herbis;
Defrutaq. antiquum longe redolentia vinum;

Et ſale terga ſuis durata apponit, & agni
Pectus, & albentes armos; qui gramina nondum
Carpere, nec patrijs ſtabulis exire ſolebat.
Huic menſæ non pinguis anas, chortisq. volucres,
(Quos tales custos tecti ſeruarat in vſus)
Defuerunt; non ruris opes: namq. inclytus olli
FARNESIVS dederat mandata, vt ſiquis ad ipſas
Viſendi ſtudio celebres accederet arces,
Non illum, comitesve ſuos prohiberet aperto
Hoſpitio. mox accelerans molliſſima defert
Vina Micon, cellis non cedere ſueta Falernis:
Quæ circum vineta ferunt, collesq. Capeni:
Detulit & ſuccos vitis, quam maximus olim
Syllano Paulus conſeuit rure propinquo.
Vt vero ventum eſt ad menſæ dona ſecundæ,
Vimineos nucibus calathos, pariterq. volemis,
Caſtaneisq. pirisq. Micon, Rhodiaq. rubenti
Implet, & apponit quadris: nec plurima ibi nux,
Vel radij deſunt, opulentaq. copia preſſi
Lactis, amineumq. nouum de palmite nectar
Collectum. at poſtquam dapibus conſuetus edendi eſt
Pulſus amor, ſurgunt menſis, varioq. fruuntur
Colloquio inter ſe, donec ſopor aliger artus,
Illorumq. oculos premeret. tunc ipſe Licormas
In thalamum ſocios duxit, ſtratisq. locauit.
Humida iam ſummo nox decedebat Olympo,
Ducebatq. rubens terris Aurora nitentem
Clara diem; atq. hortis volucres, ſiluisq. canebant,
Implebantq. nouis nemorum concentibus vmbras:
Nec caueis incluſa cauis philomela ſilebat,
Cum vigil ex humili ſtrato ſurrexit Aceſtes,
Et

Et Ladon aperit iubare exoriente fenestras;
Pacatumq. videt cælum, cæliq. serena,
Aeraq. ingenti plenum dulcedine Veris
Aduentu: & vertens oculos prospexit in hortis
Stringentem sepes, & odora rosaria falce,
Et transportantem plantaria viua Lycormam.
Tunc generum, pariterq. acciuit Helenora Ladon;
Vnanimesq. petunt iuxta sata culta Lycormam
Luce laborantem prima: qui protinus illos
Vt vidit, medio sese tulit obuius horto,
Atque opus incœptum liquit; dehinc talia fatur:
Haud volui vestros, dum nox tenet æthera somnos
Rumpere, Sol herbis infuso lumine donec
Decuteret gelidum rorem per lubrica prata.
Hæc dicens illos in regia tecta recepit.
Tunc scandunt scalas, quarum formatus in amplum
Est orbem ascensus facilis, placidusque, vbi magnum
Scalarum in medio spatium, circumq. columnis
Incinctum validis, necnon & fornice lato.
In primis intrant vbi sunt sub fornice celso
Porticibus circumpictis duodena Quiritum
Tænario signa e saxo, referentia viuos
Illorum vultus, Romam qui & littus Eoum,
Necnon Hesperium imperio tenuere superbo.
Mox templum augustum subeunt, & numen adorant
Suppliciter Patris æterni: tunc voce Lycormas,
Atque manu socijs mirantibus explicat omnem
Picturæ seriem spirantis, & edocet artem:
De nihiloq. Deum æternum vaga sidera, & altum
Aethera, & Oceani tractus, terrasq. creantem,
Et Solem, lunæq. globum, volucresque, ferasque;

Formantemq. hominem manibus, thalamiq. iugalis
Consortem ex costa ipsius, cum duceret altum
Adam stratus humi viridante in gramine somnum.
Ille etiam pictosq. viros monstrauit in æde
Bissenos, olim fidei fundamina nostræ.
Parte alia Deus omnipotens in marmore vasto
Immergit Pharias vna cum Rege phalangas.
Dauid Idumęos sibi ferre tributa coegit,
Quos nuper sumptis bellando vicerat armis.
Aspicite hanc puppim, Noe quam condidit olim
Mandato patris æterni; quæ non habet alas
Velorum; quęq. est etiam sine remige; clauusq.
Haud regit hanc mare per tumidum, pelagiq. procellas;
Cum venti posuere, ratem non anchora fundat:
At regit hanc Dominus, qua semina cuncta ferarum;
Quęq. colunt siluas volucrum, & de sanguine Adami
Octo animas tantum clausit, cum uertice ab alto
Perpetuus rueret piceis e nubibus imber,
Et tegeret terras, nec non animalia, cum iam
Flumina nec ripas, nec littora pontus haberet.
Aspicite Abraamum summa de parte tenentem
Ensem nudatum, & puerum mactare volentem.
Nuntius e cælo delabens depulit ipsi
Mortem intentatam puero Isac: mox vbi vultus
Sustulit ipse Abraam, post tergum cornibus inter
Vepres incuruis aries est visus, ad aramq.
Adductus, vice qui pueri cultrum imbuit alto
Vlnere, & æterno sacrata est victima Patri.
De Cruce depositus iacet hic (vt cernis) IESVS
Quem iuxta fundens lacrymas gemit anxia mater,
Atque dolet nati funus crudele perempti:

Et

Et deflent crinem effusæ per colla sorores.
Mox intrant domini sedes, aulamq. patentem;
Atque vocant custodem arcis, qui singula norat
Farnesię tot facta domus vulgata, genusque.
Hic vbi præclaram FARNESI ex ordine gentem
Spectat Alexandri Ladon, titulosq. parentum
Aut bello, aut pace emeritos, aut fortia facta
Ante oculos; sistitq. pedum vestigia, & infit:
Hanc seriem rerum immensam ne pœniteat te,
Quam circum pictam aspicio, memorare, Lycorma.
Ille autem paucis picturam ex ordine dictis
Edocet, antiquam referens ab origine prolem
Sanguine, & illustrem factis. En aspice, dixit,
Hos circum Heroas, quos belli gloria duxit
Astra super, toga vel sacro insigniuit honore.
Hic Guido veterem tenuit Farnesius vrbem
Imperio, quem primores, populusq. vocarant
In regni sceptrum; quos iam discordia ferre
Inter se (infandum) scelerata coegerat arma.
Hic solitam in sedem ciues, vrbiq. salutem
Reddidit, & finem posuit ciuilibus armis.
Ranutium hunc bello Quartus præfecit, & armis
Eugenius, cui post rebus feliciter actis,
Ex auro radiante rosam transmisit habendam
Ob meritum, quæ haud sueta dari est nisi regibus olim,
Et ducibus, quos iam virtus super æthera vexit.
En Petrus, quem clara ducem Florentia bello
Fecerat, ingreditur cunctis plaudentibus vrbem
Pisarum, duce captiuo, cæsisq. triumphans
Hostibus. Hic etiam Rainerius eligitur dux
Agminis Etrusci, cum bello clarus, & armis

Germanus cæli lumen liquisset, & auras.
En alter Petrus, qui fusis hostibus vrbis
Romanæ, prolapsa Cosæ iam mœnia bello
Restituit, ducens Vulsini ex vrbe colonos:
Victricis pugnæ monumentum, æternaq. facti
Pręmia. Nicoleon etiam Mauortis alumnum
Aspice, qui bello Romani principis hostes
Fudit, & ad mortem duro in certamine traxit;
Felsineamq. vrbem longa obsidione leuauit.
Hic vir hic est PAVLVS pręclari nominis huius
Tertius, Aeneadum princepsque, & rector ouilis
Aeterni Patris, quo non pręclarior alter
Vrbe fuit, quam cæruleis secat Albula lymphis:
Seu sacros inter proceres cum incederet ostro
Insignis, seu cum Lauinia sceptra teneret,
Et Romam facili imperio: geminosq. nepotes
Auxilio Caroli Germanas misit in oras,
Impia quem contra Germania verterat arma.
Cernis ALEXANDRVM dextra, fratremq. sinistra
Cęsaris armatum ferro, septosq. cateruis
Bellatorum equitum Caroli iusta arma sequentes?
Lutetię hic etiam primum est Legatus ad oras
Missus ALEXANDER, quo Cęsar venerat, & Rex
Gallorum sumptis acer Franciscus in armis:
Discordesq. illorum animos pacauit, & ambos
Fœdere coniunxit firmo. Procul aspice gentis
Farnesię defensorem, cui bellica paret
Gallia: & hunc etiam generatum Cęsare Regem,
Qui res Farnesię stirpis seruauit, & auxit.
Hanc dat ALEXANDRO florentẽ ciuibus vrbem
Farnesio, irriguis quam Parma interluit vndis,
Romu-

Romulidum Latijs quondam regnator in oris
Iulius; ille autem fratri dat habere, suumq.
Ablatum ius restituit, & debita sceptra.
Hanc sibi coniugio sociauit Horatius armis
Maximus. Hęc autem Carolo sata Cęsare virgo,
Est ducis Octaui coniux. Hic PAVLVS in aurea
Sede sedens proceres inter, sanctumq. Senatum,
Petrò Aloysio primos decernit honores
Militię, Castriq. Ducem creat. Et puer vna
Romanę efficitur præfectus Horatius vrbi.
Qui quamuis puer esset adhuc, tamen ille dabat spem
Indolis, & clarum specimen virtutis; & omnes
Aequasset proauos, animi quoque robore, ni mors
Hostes tendentem contra strauisset aheno
Tormento: cecidit quo flos, roburq. iuuentæ
Ausonię, quę sub Gallorum rege merebat.
Hanc etiam partem, Ladon, spectabis, & vrbes
Has geminas, PAVLVS quas dono tertius olim
Petro Aloysio cessit, stirpiq. futurę
Illius. Hos bello insignes Farnesia proles
Edidit, Heroasq. alios in luminis auras
Hęc gens pręclara eduxit belliquę, togęq.
Egregios, quorum Europę vaga fama per oras
Didita Farnesiam gentem super ęthera tollit.
Parte alia PAVLVS sacrorum rector, & Vrbis,
Concilium prisco sacrum de more coegit.
Hic Perusinam vrbem domuit; Carolumq. recepit
Hospitio hic quintum, Libyę qui victor ab oris
Depulso veniens in regna reduxerat hoste
Tuneti Regem. Hic geminos in fœdera Reges
Discordes olim, firmo tunc fœdere iunxit.

Hic mouet & Venetorum animos, & Cęsaris, vt se
Ad bellum accingant secum, contraq. tyrannum
Arma ferant, qui regna tenet tot maxima duro
Imperio, intortis quę scindit cursibus Ister,
Tot maris Ionij tractus, tot littora, & vrbes.
Ob veterum decreta patrum violata, nouosq.
Inductos regno mores hic Paulus ademit
Tertius Henrico Octauo regalia iura,
Brittannos qui tunc populos ditione premebat.
Paulus Alexandrum Tyrio insigniuit honore,
Necnon Ranutium fratrem; multosq. senatus
Purpurei proceres tali decorauit honore.
Horum autem sacro delecti ex ordine Patres
Quattuor antiqui tenuerunt sceptra Latini;
Et positas septem tenuerunt collibus arces.
Diuidit hic paries partes in quattuor annum:
Gramine se hic vestit tellus, & frondibus arbos;
Demessas ferro hic campis terit area fruges;
Demetit hic mites in aprico colle racemos;
Asperat hic gelidis Boreas afflatibus undas.
Hic paries Crucis ostentat mysteria, Christumq.
Hebręo populo diuini semina verbi
Spargentem, magniq. patris præcepta docentem.
Postquam bissenos comites, testesq. laborum,
Atque suorum operum Christus delegit, ab alto
Descendit monte, atque loco vestigia fixit
Campestri, quo gens aderat quamplurima ab oris
Sidonijs, Tyrijsque, freti quas alluit vnda;
Et gens, quæ ripas habitat Iordanis, vt ipsum
Audirent Christum vitę pręcepta docentem
Aeternæ; vtq. illos crudeli tabe leuaret,

Obstru.

Obstructasq. aures aperiret; vincula linguæ
Solueret, & gressus firmaret vt ille labantes;
Pelleret obsesso deformia pectore monstra,
Aetherea gentem deiectam e sede profundum
In barathrum Patre ab æterno, quando ille superbum
Ob factum pœnas inimica a gente recepit.
Duxere hi vitam in siluis, vel rupe sub alta,
Semoti procul a patria, rerumq. tumultu.
His etiam populis Salomon dat mystica iura.
Illic sunt etiam sapientum dicta virorum;
Atque illis similes vultus in pariete picti.
Hic matri Salomon infantem adiudicat; illamque,
Quæ vere non mater erat, puerumq. petebat
Abscindi in geminas præsenti a iudice partes
Lictoris gladio, clamantem reppulit acri
Iudicio; matriq. dedit, quæ mœsta vetabat
Discindi puerum ferro, quod lictor habebat
In manibus: veræ nam sunt commota parentis
Viscera, quæ haud poterant fera cernere funera nati.
Hic Saulem iussu Domini, qui temperat axes
Aethereos, & sæcla hominum, terrasque, fretumque:
Acceptumq. Deo Dauidem Samuel vnxit
Hebræi in Regem populi, Dominumq. colentis.
Dauidis ante pedes cithara est, qua rumpere suetus
Vocem erat, & dulces neruis intendere questus.
Hic statuit Moses certos hac parte tribunos,
Qui populis noua iura darent, rectumque, piumq.
Seruarent, litesq. nouas componere vellent.
His etiam terris fixit tentoria Moses;
Et statuit legem populis, quos nuper ab oris
Duxerat Aegypti. Iethro duo pignora duxit,

Et Sephoram vxorem genero; castrisq. recepit
Hunc Moses. cernensq. socer dehinc luce sequenti
Tot circum populis vnum illum iura ferentem,
Pondere sub tanto paruum haud perferre laborem;
Admonuit generum vt vellet præferre tribunos,
Qui populis causasq. leues, facilesque, remotis
Muneribus, precibusq. rei, vel amore suorum,
Audirent; non luce sacra, certisve diebus:
Atque exercerent æquata lance supremum
Iudicium: leges Moses, & sacra doceret.
Difficili in causa iudex instructus adiret
Ipsum ductorem gentis, rerumq. magistrum.
Pectore flammam acrem Sampson concepit amatæ
Virginis, ob faciem egregiam; cui credidit vni
Ipse suos sensus arcanos, & male cautus
Detexit viresq. suas, roburq. iuuentæ,
Concessum haud vnquam dono mortalibus vllis.
Dilectæ sed genua super gremiumq. soporem
Dum dulcem captat Sampson; illa impia crinem
Nudato abrasit ferro, cassumq. reliquit
Viribus, actutumq. illum nil tale putantem
Reppulit, & fugiens Philistim castra petiuit.
Cernite quæ insomnis Pharao vidisse putarat,
Ingenti e Nili fluuio prodire iuuencas
Septenas numero pingues, & iuncea pasci
Pabula; septenasq. alias dehinc flumine eodem
Confectas macie prodire; inuadere quæ sunt
Ausæ illas, auidoq. actutum absumere morsu.
Quæ portendebant septem cum frugibus annos
Venturos, septemq. alios sine frugibus annos.
Parietis hac est parte alia depictus Ioseph,
Quem

Quem Luna, & quem Sol, vndenaq. sidera adorant.
Non procul hinc astans spicarũ huic fascis in agro est,
Quem prono vndeni venerantur vertice fasces.
Quæ portendebant Pharijs in partibus illum
Regnaturum olim vice Regis; quem simul omnes,
Frugum ob egestatem, fratres frumenta petentes
Poplite adorarunt summisso Regis in aula.
Esset dum Ioseph tenebroso in carcere clausus
Immerito, Deus hunc non illo tempore liquit.
Aspicite hanc ambo læua de parte fenestram;
Qua læta assurgit vitis propagine terna,
Et iam purpureas vuas monstrare videtur;
Et iuuenem pateram ingentem de more tenentem,
Pocula qui miscet Regi, læuaq. prementem
In solitum craterem vuam, Regiq. ferentem.
Parte alia capitis sublimi in vertice rector
Pistorum defert en terna canistra farinæ;
Et summo in calatho sunt plurima liba, cibiq.
Arte laborati, multæ quos vngue volantes
Incuruo, rostroq. simul rapiuntque, vorantque.
Hæc sunt quæ soluit socijs insomnia Ioseph,
Vtrique ostendens propere ventura; graues nam
Hic pœnas tulit; ast alter carchesia Regi
Sueta ministrauit, prius vt de more solebat.
Bersabee egressus Iacob, cum pergeret Aram,
Venissetq. locum quendam, quo carpere vellet
Optatos somnos, nox postquam frigida totum
Cælum vmbra tegeret; lapides collegit, & illos
Supposuit capiti, somno se dehinc dedit alto.
Qui postquam est illo deuinctus lumina, vidit
Tellure infixam scalam, quæ vertice celso
Aequa-

Aequabat conuexa poli, iuuenesq. vicissim
Ire, redire viam alatos; summumq. parentem
Aeriæ innixum scalæ, & sua lumina versus
Vertentem faciem Iacob, placideq. loquentem;
Cui sese terram atque locum Deus ipse recepit,
Quo somno sopitus erat, stirpiq. daturum.
Nabuchodonosor somnum dum duceret aureis
Instratis tacitam per noctem insomnia vidit
Dira, quibus gelidus tremor illum incessit, & amens,
Solicitusq. magos regni quærebat, & artes
Secretas doctos, aperire & somnia. Cunctis
Chaldæis ergo accitis Rex ipse, Magisq.
Dira per obscuram sibi visa insomnia noctem,
Ac se se oblitum quæ viderit, & penitus nil
Se meminisse illis memorat: simul & iubet illos
Somnia, quidq. sibi portendant dicere; dona
Plurima promittens illis, atque vrbis honores,
Si monstrare sibi possent ea somnia. Sed non
Vllus erat toto in regno, qui dicere posset
Illi eadem, quæ per noctem Rex ipse silentem
Viderat, oblito penitus fera visa; dabantq.
Hæc responsa omnes Regi: Dic, maxime Regum,
Rex, nobis, quæ per nigram tibi somnia noctem
Visa fuere; eaq. actutum soluemus; erisq.
Liber ab his curis. cælestia numina solum
Detegere hoc factum possunt; communia quorum
Consilia, aut vllis hominum commercia non sunt.
Tunc Rex ipsorum dictis turbatus in iras
Exarsit; strictoq. Magis decreuit, & vna
Chaldæis (infandum) animas effundere ferro.
Hoc vbi decretum est, Vrbem vaga fama repleuit
Mœro-

Mœrore, Euphrates liquidis quam perluit vndis.
Sed postquam hæc Vatis venit Danielis ad aures,
Quem Rex, Hierusalem capta, perduxerat illuc
Captiuum; subito rectorem orauit Olympi,
Vt sibi detegeret, quæ Rex insomnia nuper
Vidisset, gemino caperet dum lumine noctem.
Cumq. ipsi pater omnipotens nocte ordine cuncta
Monstrasset; subito narrat sua somnia Regi:
Atque addit, quid significent ea visa. Sed ecce
Hic statuam, quam Rex deuinctus lumina somno
Vidit, terribili aspectu, nec corpore paruo.
Huic caput ex auro puro est; venterq. femurq.
Aere relucenti effulget: sunt crura rigenti
E ferro; atque pedum pars est hæc fictilis, illa
Pars chalybe e duro est. Hæc est, quam vidit, imago
Contra se stantem Assyrijs regnator in oris.
Ecce autem summo (vt cernis) vasto impete saxum
Sponte sua de monte cadens, & ferrea crura,
Permixtosq. pedes terra ferroque, caputq.
Ex auro, pectusq. argento, & aluum & femur ære
Percussit; statua hæc ingens tunc fracta repente est;
Atque sui casus vestigia nulla reliquit.
Tum lapis immensum in montẽ est cõuersus, & omnem
Compleuit iam mole sua spatia vltima terræ.
Quattuor hæc statua alta notat ditissima regna:
Primum est Assyrij Regis, qui somnia vidit,
Quiq. suo imperio claram Babylona tenebat,
Diuersosq. maris tractus, Eoaq. regna.
Post hunc venerunt Mædi, Persęq. feroces.
Tertia Alexandri Maçedum sunt sceptra potentis.
Vltima successit Romana potentia factis

Inclyta; sed Cæsar bello præclarus & armis
Pompeium illustrem factis superauit, & omnem
Obtinuit terrarum orbem post ciuica bella.
Hic lapis excelso delapsus monte, ruensq.
Effigiem, haud hominum impulsu, nec viribus vllis,
Est Christus mundi vere Saluator, in aluo
Virginea, cuius se late extendit ad oras
Occiduas atq. Eoas durabile regnum:
Succedet cui non aliud; non alter habebit
Extremum hoc Rex imperium: nam rector Olympi
Huic nullas posuit metas, vel tempora regno.
Proflantem somnos, quem cernis, pectore Regem,
Est Rex Nabuchodonosor, qui somnia, cum nox
Intempesta premit mortalia corda sopore,
Vidit, & exiluit stratis perterritus aureis:
Iussit & (vt data lux cælo est) vatesque, Magosq.
Acciri; atque illis memorat quæ viderat atram
Per noctem; quæ cum haud potuissent soluere Vates
Chaldæi, celebresq. Magi, quos victus alebat
Regius; accersens Danielem talia fatur:
Solue mihi o Daniel, princeps celeberrime Vatum,
Somnia; nam te non vmquam tua numina fallunt.
Arbor erat orbe in medio, pulcherrima visu,
Omnigenoq. grauis fœtu, & signa ardua tangens
Vertice sublimi, & denso, spectansq. cadentem,
Surgentemq. diem terris; volucresq. volabant
Frondentes inter ramos: animalia habebant
Quæque suum ex ipsa nullo discrimine victum.
Ecce autem tenues horrenda voce per auras
Aliger e cælo iuuenis descendit, & omnem
Incendit thalamum clamoribus; atque ita fatur:
Arbo-

Arboreum truncum ſuccidite; ſtringite ramos;
Et folia excutite in terram, & diſpergite fructus:
Atque fugam celerent quæcumque animalia ſubter
Arboris hanc habitant vmbram: migrate volucres
Vos quoque; pœniteat nec vos hos linquere nidos:
Radicum aſt harum permittite viuere germen;
Aereq. vincite, ac ferro; & dum ſidera cælum
Per noctem illuſtrant tingatur rore recenti:
Cumq. feris gradiens paſcatur graminis herbam;
Donec eum ſupra mutentur tempora ſeptem.
In ſomnis ſunt hæc quæ viderat Aſſyrius Rex.
Conſcius at veri Daniel, & numine plenus
Aeterni Patris, Regi ventura retexit
Omnia; quæ tanto mox euenere tyranno,
Qui tunc innumeras gentes, & regna premebat
Imperio, longe gemmis ditiſſima, & auro.
Ille etenim pulſus regno, & ditione potenti
Amiſſa, in ſiluis traxit vitamque, dieſq.
Inuiſos; interq. feras edit, veluti bos
Ruricola & fænum & paleas noctesq. dieſque.
Cæſarieſq. olim nardo perfuſa fluenti,
Aſpera erat tactu, atque humeros, pectuſq. tegebat:
Atq. auium ſimilis manibus concreuerat vncis.
At poſtquam ille hominum nouit, rerumq. parentem
Eſſe Deum, & Regem regum, tantiq. datorem
Imperij; (terram Indorum nam ſolus habebat)
Territus, & cęlum aſpiciens, pia verba locutus
In laudem eſt Patris æterni; rediјtq. paternum
In regnum, gratus populo, & primoribus vrbis.
Aſpicite oppreſſum hunc tarda, triſtiq. ſenecta;
Qui veluti feſſuſq. via, longoq. labore

Solli-

Sollicitas somno curas laxabat, acuta
Iuniperi sub fronde, via defessus. at illi
Nuntius abrupit somnum, de sedibus alti
Aetheris, atq. tulit panem, lymphamq. recentem;
Hortaturq. cibum vt capiat signisq. manuque:
Nempe senex est Elias, qui dormit in vmbra.
Ostenditq. aliam picto sub fornice partem,
Qua Deus omnipotens summo detrusit Olympo
Indignas habitare domos, cęlumq. phalangas
Olim ausas Patris ætherei sibi poscere honores.
Sunt multi aligeri iuuenes, pulcherrima pubes,
Et dilecta Deo: quorum vnum misit ab oris
Aethereis Pater omnipotens ad Virginis ædes,
Quæ paritura foret sine labe Deumq. hominemque;
Et tenebris qui credentes, barathriq. profundo
Eriperet, cæliq. illos transferret Olympo.
Hæc Virgo MARIA est Solymorum electa puellas
Ante alias Patre ab æterno, rerumq. parente.
Post vbi Dauidis iussu lustrasset Ioab
Israel ingentem populum, narrasset & illi
Ordine & Hebræam gentem, peditumq. cohortes;
Turbatus Rex indoluit, veniamq. petiuit
A Domino fusis precibus: qui protinus ipsum
Gad vatem ad Dauidem misit, vt de tribus vnum
Optaret cito venturum, bellumve, famemve,
Aut pestem. pestem elegit; posuitq. suam spem
In Domino, semper solito exaudire precantes.
Princeps militiæ cælestis Michael ensem
Vagina eductum dextra tenet, ancipitemque,
Sustinet atq. animas non æquo examine læua.
Cum vates Esaias vidisset Olympi

Vertice in excelso radianti in sede sedentem
Et Dominum, Regemq. poli, terræque; locumq.
Maiestate sua plenum; sic territus infit:
Væ misero mihi nunc, quoniam tacui, quoniam vir
Pollutus labijs ego sum; Regemq. Deumq.
Vidi exercitum his oculis; & versus ad illum
Vnus de cœtu Seraphim accessit, habensq.
Carbonem ignitum dextra, quem forcipe ab ara
Detulerat, dixit Vati: Labia en tua pruna
Hac tetigi, crimenq. tuum delebitur omne.
Parte alia iuuenis, qui iuxta altare Parentis
Stat pedes ęterni, dextra sustentat acerram
Ex auro; cui tura ferunt Panchæa ministri,
Sanctorum vt de more preces fundat super aram
Auratam ante Dei solium, quæ tota renidet.
Effigiem iuuenis Raphael assumpserat olim;
Et tamquam qui carpit iter sub mane viator
Tobia genitum Rages perduxit ad vrbem
Medorum; atque illum in sedem, patriamq. reduxit
Incolumem: secumq. tulit bis quinque talenta
Argenti, dederat Tobias quæ bonus olim
Gabello, sine spe lucri. Tenet hic quoque piscem
Hunc læua iuuenis, satanam quo exegit, & ipsi
Restituit lumen patri, solitumq. nitorem.
Oppida cum Latij passim, populusq. Quiritum
Peste laborarent sæua, legesq. silerent,
Mussarentq. artes medicę; sacra publica Princeps
Gregorius plebi indixit, totiq. senatu;
Atque Vrbis cessauit opus. Tunc protinus ille
Carpsit iter versus qua moles Aelia tollit
Se cælo, procerum sacro comitante senatu:

Virgi-

Virgineiq. chori circum alto pariete septi,
Orabant cæli Dominum, ne linqueret Vrbem
Inter tot rerum discrimina, totq. labores.
Diuersiq. habitus aderant sacro ordine gentes:
Necnon & cœtus matrum per strata viarum
Orabant summis precibus, lacrymisq. Deum ne
Illos desereret vicino in limine leti.
Perq. vias primorum humeris defertur imago
Intactæ matris MARIÆ; quam laudibus omnes
Vnanimi innumeris tollunt, sertisq. coronant.
Interea dum sacra canunt populusque, sacerq.
Delectorum hominum cœtus, de sede superna
Aliger aduenieus Michael se ostendit in arce
Tunc Aeli, sua qua vestigia certa reliquit
Discedens; pestisq. abijt (mirabile visu)
Aeternoq. egere Patri per carmina laudes:
Et templi ornarunt postes, & limina myrto,
Atque alba, nigraq. hedera, lauroq. virenti;
Verbenaq. viam, & croceis sparsere genistis.
Deinde reportarunt Capitoli in culmina montis
Effigiem sacram MARIÆ, temploq. locarunt.

Armenti, & pecudum Ausonijs Garganus in oris
Diues erat, putremq. vno non vomere terram
Vertebat; nomenq. suo de nomine monti
Imposuit; cui nullus honos, neque gloria quondam
Vlla erat, aut nomen; qui nunc Garganus habetur,
Linquere suetus erat domini magalia taurus;
Exosusq. greges magnos, noua gramina solus
Depasci, & longe a socijs secedere semper.
Et cum sæpe greges, armentaq. clausa silerent
In noctem, taurus non in stabula alta redibat.

As

Ast vbi Sol humentem vmbram dimouit, & alma
Est data lux cælo, & terris, Garganus auitis
E stratis surgit, quærens per deuia taurum:
Quem tandem inuenit nemoroso in vertice montis,
Speluncæ ante fores. Quidam iaculatus in ipsum
Est taurum. Sed quid dicam? Iaculata per auras
Hasta retro cessit stridens, teliq. petiuit
Auctorem. Nouitate rei, casuq. sinistro
Indigenæ non audebant accedere collem,
In quo taurus erat: verum petiere magistrum
Sacra ministrantem populo; remq. ordine totam
Narrarunt. Ille actutum de more coacto
Concilio, ternis ieiunia certa diebus
Indixit populo: ac Patrem postquam ille vocauit
In sua vota Deum precibus; tunc aliger atram
Illum per noctem admonuit, dixitq. supremum
Esse locum in tutela ipsi; & monstrasse recenti
Indicio; fieriq. nouum sibi velle ibi templum.
Dehinc Præses populum ad sese, ciuesq. vocauit,
Et stans in cœtu medio factum omne retexit:
Atque alacres adiere locum; rupemq. videntes
Esse cauam in faciem templi, fecere superbam
Aedem illic speluncam illam; Patriq. sacrarunt
Aeterno, dictam de nomine Michaelis,
Aligerumq. choris iuuenum, qui ferre parentis
In terras mandata solent per inania cæli.

Agricolis vates Abacuc pulmenta ferebat,
Qui campis segetes procurua falce metebant.
Aliger huic iussit cæli demissus ab oris,
Vt Danieli epulas Babylonem ferret in vrbem,
Atque lacum. Cui respondit, Non est mihi nota

C Vrbs

Vrbs Babylon, non ipse lacus. Tunc vertice Vatem
Aliger apprendit iuuenis, tenuiq. capillo
Illum pendentem magnam Babylonis ad vrbem
Portauit; supraq. lacum, supraq. leones,
Qua sæui stabulant, posuit; clamansq. superne
Danielem, dixit, Deus hæc tibi prandia mittit,
Quæ porto mecum alueolo. Tunc ille, Meï non
Oblitus Deus es, qui numquam linquis amantes
Ipsum te, positos diuerso in turbine rerum.
Dum bello premerent Iudæos Madianitæ;
Est illos Pater omnipotens miseratus, & ipsis
Auxilium tulit; & cæli e regione ministrum
Ad Gedeonem misit mandata ferentem;
Qui dum bella timet passim vastantia campos
Finitimos, ventis paleas iactabat inanes,
Exclusa & grauidis frumenta legebat aristis.
Militiæ, gentisq. suæ columenque, ducemq.
Vnum te elegit, bello & præfecit, & armis
Madianitas contra, Eoasq. phalagas
Omnipotens Deus, o Gedeon; sic nuntius infit.
His ille obstupuit dictis; mox talia fatur:
Quis nam ego sum, quem tu tali dignaris honore?
Est mea progenies Manasses infima gentis;
Ipse etiam stirpisq. meæ, fratrumq. meorum
Sum minimus. Cui respondit, Non est opus vllis
Consilijs; confide Deo; victoria cedet
Namq. tibi; & tanta populum formidine solues.
Quinetiam Domini te spiritus induet; & tu
Mentem aliam, viresq. alias in pectore sumes:
Atq. hostes cunctos paucis comitatus, & omnes
Madianitas gladio superabis acuto;

Tota phalanx veluti foret vno in corpore ceruix.
Dehinc pugnæ liquit victricia signa futuræ.
Nam lanæ ob gelidum rorem, qui lapsus ab æthra
Vellus erat madidum, tellusq. erat arida circum;
Nocte alia, cælo cum fulgent sidera, lanæ
Siccum velus erat, passim rore humida tellus.
Cælestum iuuenes stantes in quattuor orbis
Partibus, vnanimesq. & strictis ensibus omnes,
velle videbantur mundi hanc euertere molem,
Et totum mortale genus, nemora alta, ferasque.
Parte alia sese tulit obuius vnus, eodem
Agmine, persimilisq. aspectu, atque oris honore;
Purpureo veniens radiantis Solis ab ortu:
Qui vetuit comites mundum hunc delere, hominesque,
Illorum frontes donec signentur ab ipsis
Aligerum cuneis, Domini qui iussa facessunt,
Qui meritis meruere suis celsa atria cæli,
Optatam & faciem summi spectare parentis.
Postquam Rex Balac tentoria gentis Hebrææ
Esse suis posita in terris trans fluminis vndam
Iordanis, secum Pharijs quam duxerat oris
Moses, e specula longe prospexit, & omnem
Moabitarum populum formidine pressum;
Insignes virtute viros, & sanguine misit
Ad Balaam vatem, non ignarumq. futuri;
Hebræo vt vellet populo maledicere, & illum
Detestari, ipsi promittens munera, honoresque.
At Balaam dum ferret iter subuectus asella
Ad Regem geminis pueris comitatus; in iras
Exarsit Pater omnipotens, misitq. ministrum
E cęlo, vt subito sese illi opponeret ense

Districto, prohibens vltra procedere gressus
Quadrupedis. quæ cum prope se iam cerneret illum
Vagina eductum gladium toruo ore tenentem,
Inceptum detorsit iter, campumq. petiuit.
Quam Balaam actutum sumpto cogebat in ipsam
Fuste redire viam rectam: sed missus ab alto
Nuntius illam ipsam gladioque, minisq. vetabat
Vertere sese alio; sed carpere proxima prata
Cogebat. Quadrupes vbi sese opponere eunti
Conspexit iuuenem, cecidit. Tunc percitus ira
Est Balaam, atque illam percussit verbere multo.
Os asinæ hic Dominus soluit, quæ pauca locuta est:
Vatis & idem oculos immissa luce reclusit.
Tunc Balaam iuuenem iratum, ferrumq. tenentem
Vidit, adorauitq. tremens, veniamq. petiuit.
Sennacherib vrbem longa obsidione premebat
Hierusalem, turmaq. equitum, peditumq. phalange
Cinxerat, & iam iam victoria cesserat illi:
Et spes obsessis euadere posse fluebat
Bellantum, Regisq. minas. tum cum attulit ipsis
Auxilium Pater omnipotens, fessisq. leuamen
Pugnando ob noctes vigilatas mœnia circum.
Nuntius e summo veniens descendit olympo,
Cum nox incubuit totis passim humida terris;
Assyriasq. acies ferro deleuit acuto.
Vidit mane nouo prostrata cadauera campis
Rex tristis; trepidusq. abijt, bellumq. reliquit;
Cum patrijs Ezechias regnaret in oris.
Astrorum varios ignes (mirabile visu)
Aspicite, aurato sunt hoc ca fornice tantum
Sidera, quæ nunquam propria statione mouentur;
Spectan-

Spectantum quę longe animos, & lumina pascunt;
Ornamentum ingens Caprarolę, arcisq. superbæ.
Christophorus Cancri inuenit sub sidere gentes:
Hic polus extremos primus deuenit ad Indos.
Deuicit Messicanam Cortesius vrbem.
Occasum vidit Solis Magalanus, & ortum:
Tempore nec longo totum circundedit orbem.
Auroræ extremas adijt Vesputius oras.
Hic sunt tres mundi partes; quarum inclyta longe
Ob magnas Orientis opes, & maxima regna
Est Asia, Oceanus quam longe amplectitur vndis,
Nilusque, Tanaisque, gerit multa oppida, & vrbes
Vertice sublimi; atque premit dextro pede proram;
Anchora sub lęuo posita est, patera aurea dextra est.
Europa hac etiam parte est, quę vertice toto
Turrita est: orbem dextra gerit; atque sinistra
Fert ensem non districtum: puer vnus aristas
Flauentes dextra astringit; puer & tenet alter
Intortum dextra baculum; falcemq. sinistra.
Africa, quæ has geminas sequitur, quæ pelle elephãtis
Detracta e capite illius sua tempora cingit,
Atque gerit dextra sat magnum scorpion atrì
Corporis; & portat læua autumnalia dona
Ingenti ac nitido cornu; mensuraq. parua
Illius ante pedes posita est, quæ plena maniplis
Frumenti est nondum tonsi cum culmine toto.
Americe est etiam mundi pars maxima, & istis
Ditior, atque alijs sparsis per cærula terris
Oceani; varijsq. coloribus imbuit artus,
Quos læna tegit intexta, cornuq. recuruo
In terram versat gemmas, auriq. talenta

Plurima; & ante pedes pictis stat psitacus alis;
Atque latus iuxta partem medii tenet orbis:
Lucentesq. illam gemmę, baccęq. coronant.
Illa etenim has inter forma est pulcherrima; quamuis
Fusca sit, & tumidis labris, crispoq. capillo;
Affixasq. gerat baccas, gemasq. profundo
Oceano inuentas passim; labijsque, genisque,
Naribus & patulis; & brachia vinciat auro;
Chrysolithoq. aures ornet, geminosq. cothurnos.
Hanc etiam ostendit partem, quæ continet omnes
Oceani salsos fluctus, & littora, & vrbes
Littoreas, nostrasq. intrantia marmora terras,
Oppidaque, magnasq. vrbes, montesque, lacusque.
Parte alia monstrat soluentes littore classem
Hesperio nautas Italo duce, & alta secantes
Cærula, in occasum flectentes carbasa semper,
Et Parię inuentas ignoto in littore sedes:
Conuersamq. ratem geminas demonstrat ad Arctos;
Ingentemq. Ofirem, mundi noua regna reperti,
Et fortunatas Cancri sub sidere terras.
Parte alia ostendit nostris incognita nautis
Sidera, & Austrinos tractus, Molucasq. repostas
Orbe alio; atq. docet cęlo noua signa sereno.
Fundatam aspiciunt salsis in fluctibus vrbem
Temistitanam non longe a littore Ponti.
Sunt Scaletæ gentes, solitę connectere pennas
Corporibus auium auulsas, atque arte magistra,
Et pluma volucrum diuersa pingere vestes.
Illinc digressi tendunt qua parte labores
Alcidę effulgent gemini sub fornice picto.
His visis, linquunt auro radiantia tecta;
Ad

Ad viridesq. hortos accliuo tramite tendunt.
Sunt positę his hortis patrio de marmore Nymphę
Quattuor astantes, manibus quę & vertice saxum
Ingens sustentant; spatijs cernuntur vbi horę
Dispositę, numerisq. suis; dum lumine terras
Sol lustrat nitido, tendens per inania cęli,
Ausonij quibus vtuntur, Celtęq. feroces.
Aspicite hanc turrim pręcelsi culminis, in qua
Copia librorum est ingens, delectaque, seu quis
Voluere forte velit sacrorum oracula vatum;
Aut linguę auctores Latię, monimentaq. Graium.
Et sese sistunt alto sub fornice fontis:
Hic vbi iam Leuce panem, generosaq. vina
Addiderat mensis, atq. hœdi integra ferebat
Viscera, fumantesq. epulas: tum lance patenti
Apponit lac concretum, post fraga, fauumq.
Mopsopii mellis: comites dehinc fonte nitenti
Sępe manus, sępe ora lauant; mirantur & ipsam
Marmoream effigiem latices effundere ad auras;
Haud aliter quam flumen aquæ loca saxea subter
Delabens montis, cum valles venit ad imas,
Visceribus terræ latices prorumpit ad auras,
Diuersosq. suo gignit de gurgite riuos.
Inde alacres dapibus fontis vescuntur ad vndam;
Atque epulas inter vario sermone fruuntur;
Sideraq. ad cæli sedes, hortosq. ferebant;
Atq. loci dominum Ladon æquabat Olympo
Laudibus. At postquam dapibus consueta cupido
Est exempta cibi, Siculus sic inquit Acestes:
Dic hospes nobis celebratum carmen in oris
Trinacriis, laudans hortos, fontemque, locumq.

Hunc celebrem, dum Sol celsi secat ætheris axes
Iam medios, nec flat Zephyri leuis aura per agros.
Tunc custos arcis: Fontem hunc laudauit Amylcon,
Qui Mellæ pecudes patrij pascebat ad amnem;
Et domini nunc versat oues prope Thybridis vndas:
Et cum falce metit maturas messor aristas,
Hic etiam comitatur herum sua tecta petentem
Regia; & interdum subter canit hæc loca versus
Frondea. Nunc elegos nostri cognoscite vatis.
DVM te muneribus tantis FARNESIVS heros,
Et te tam largo munere donat aquæ:
Quid tibi fons animi est? num te felicior alter?
Num te Castalij lætior vnda fluit?
Præcipue dum Roma potens te inuisit, & omnis
Ausonia, atque omnis Gallia, & Hesperia.
Miraturq. nouos fructus, atque aurea poma,
Et virides hortos, quos tua lympha rigat;
Et varios latices, & te pulcherrime, qui tam
Sub gelido nitidas fornice claudis aquas.
Hæc loca erant olim saxosis aspera dumis;
Et nunc sunt pictis aurea porticibus.
Et qua custodes fluuiorum & faucibus vndas
In stagna effundunt dulcia, tophus erat.
Hic vbi nunc Dryadum rorantia cernitis antra,
Cliuosum ornabant marmora nulla locum.
His olim arebant incultis collibus herbæ,
Nullaq. de celsa rupe cadebat aqua.
Et qua nunc per stagna natant fluitantia pisces,
Abrupti moles saxea montis erat.
Quaq. suis Capra vberibus diffundit in auras
Tot liquidos latices, scrupea silua fuit.
Impo-

Imposuitq. suo nomen de nomine monti:
Ex eodem pagus nomine nomen habet.
Tergemini infantes hic simę colla iacentis
Prensant, & palmis vbera plena premunt.
Hinc lympha exiliens frondes ferit ictibus altas,
Lambit & ætherei lucida signa poli.
Et quoties quatiunt frondosa cacumina lymphæ
Effusæ, quamuis sit sine nube dies;
Apparet toties vario perfusa colore
Insidens Iris frondibus arboreis.
Hanc circum folijs strepitant, caueisq. salignis,
Et canere hos latices velle videntur aues.
Te non est fons lucidior, nec pulchrior vllus:
Iam cedat rutila Lydius Hermus aqua.
Quid tum si mixtas auro vehat amnis arenas;
Illius & ripis lucida gemma micet?
Si regit imperio dites gens barbara terras;
Et fluuij latices sæua leæna bibat?
Te geminæ exornant Libyco de marmore Nymphæ;
Necnon Oebalio marmore facta Venus.
Cuius sub pedibus mons est, qui gurgite seruat,
Cumq. libet rauco murmure fundit aquas.
Tu gemmis, & coralio, conchisq. refulges,
Quas de Persarum littore nauta tulit.
Sustentat manibus viuo de marmore labrum
Cypria, quo latices accipit ipsa tuos.
Et reddit quoties acceptos ipsa liquores,
Euincit strepitu murmura Panthagiæ.
Cum vero occultas diuersis partibus vndas
Eijcis, incautos proluit vnda viros.
Tunc Satyrique, locusq. madent, Nymphęque, Venusque;

Lapsaq.

Lapſaq. muſcoſo murmurat vnda lacu.
Nam fluis haud aliter, quàm vere nigerrimus vdo
Imber aquæ, & pluuia ſicca madeſcit humus.
Ipſe tuas iuxta Princeps FARNESIVS vndas,
Dum capitur blando murmure dulcis aquæ:
Et cum Sol alto iam luſtrat lumine valles,
Seu cum ſe vertit littus ad Heſperium:
Regales epulis menſas onerare miniſtros
Imperat, & fundi Maſſica vina iubet.
Sublata at poſtquam lautis ſunt pocula menſis,
Audis magnorum fortia facta patrum.
Atq. Ithacus citharam pulſat Terpander eburno
Pectine, dehinc alij carmina læta canunt.
Hic primas rerum cauſas; hic iura recenſet;
Ille canit magni lucida ſigna poli.
Hic Graijs carus Muſis, pariterq. Latinis,
Ad citharam Domino carmina digna refert.
Atque artes alius perſtringit carmine mutas;
Quæq. hominem lædat, vel iuuet herba, docet.
Deſcribitq. alius cum magnis vrbibus oras
Oceani, & noſtros, Itala regna, ſinus.
Hic fortunatas Cancri ſub ſidere terras,
Ductore inuentas nuper ab Auſonio.
Hic hominum mutata nouas in corpora formas,
Et vectos nautas per freta longa canit.
Dat plauſum circum agreſtis per compita pubes;
Et Zephyri auditur per nemus aura leuis:
Viſaq. ſunt circum dulcedine cuncta moueri,
Et motare ſuas fraxinus alta comas;
Qua nos & ſomnum dulcem captamus, & auram,
Cum Sol ardenti lampade torret agros;

Cum nexæ arboribus rutilo ſub Sole cicadę
Hæc reſonant rauco regia tecta ſono.
Non te proturbat pedibus vaga bucula, vel grex;
In te non paſtor vellera merſat ouis.
Sed te paſtores potant, & ruſtica pubes,
Et miſces domino cymbia grata tuo,
Qui regit has circum terras ditione, locumque,
Atq. hoc, vt cernis, ſurgere iuſſit opus:
Egregium (nec fallor) opus, cui maxima Roma
Inuidet; & tacito victa dolore ſilet.
Tunc horti cuſtos Ladonem affatur, & infit:
Audiſti quæ ſit ſolitus memorare Menephron
Hoſpitibus, qui tecta adeunt ſublimia magni
FARNESII, *viſuri hortos, fonteſque, quibus me*
Iudice & Alcinoi cedant & Adonidis horti,
Atq. Hippocrenes fons, & Parnaſidos vnda.
Oſtendam tibi cras etiam circumdata muro
Aerio nemora, & diuerſa animalia paſſim,
Quæ paſcunt & planiciem, valleſq. profundas.
His ſunt tecta locis agreſtia, quæ tenet ipſe
Ruſticus; & quæ ſunt etiam ſub colle virenti
FARNESIVS *colit: hæc ſpectant nemora omnia circũ,*
Atq. lacum, fonteſq. ſimul: habitantq. ſub altis
Arboribus volucres, quas Africa mittit, & ora
Phaſidis, atq. Indi tractus. non hic vigil anſer,
Non fulicæ, aut anates deſunt; cygniq. vagantur
Per riuos, nitidumq. lacum, fons lucidus in quem
Influit ornatus ripas bene olentibus herbis;
Qui vehit agmen aquę ſecum per leuia ſaxa
Rauca ſonans, miſcetq. lacu ſe plurimus alto:
Hoſq. feræ, volucreſq. bibunt; fundaq. natantes

Hic illic alius captat, vel arundine pisces:
Et cursu lepores, canibusq. sagacibus, imas
Per valles premere in foueas vel in abdita tentat
Retia; deinde fugam trepidis immittere ceruis.
Sæuus aper non turbat aquas fontive, lacuve
Immissus: non has siluas aut vrsa, lupusve
Incolit; ast hospes captat securus in vmbra
Ilicea dulces, posita formidine, somnos;
Et fontem ad gelidum dapibus epulatur inemptis,
Ipse locum quotiens dominus sua tecta reuisit,
Incinguntq. lacum platani miro ordine: namq.
Carpere iter poteris medio feruore sub vmbra,
Non vmbra sub iuniperi, taxive, graues cum
Terrarum tractus æstiuis æstibus hiscunt.
Non desunt vites peregrinæ, præcipue quas
Afferri iussit Dominus de collibus altis
Cenomanum, & Rheni ripis, non cedere cellis
Ausonijs vnquam solitæ; firmissima quamuis
Vina ferat Campanus ager, collesq. propinqui.
Et quamuis sub matre alia, ac sub sidere vites
Sint positæ, atq. alio sint sub cultore, tamen non
Degenerant, succosve suos, aut nomina mutant.
Hic alia de parte iacet parua insula, paruo
Sed vitreo præcincta lacu; quem cum canis æstu
Icarius proscindit agros, seu gramina frigus
Acre ferit, læditque, suis cum flatibus asper
Non parcit Boreas, foliorum ridet honore
Ob non decussum, glacialesq. increpat auras.
In medio fons est gelidus, quem mille coronant
Gramina odorati floris; quem laurus inumbrat,
Arboreisq. comis myrtus: semperq. recentes
Fundit

Fundit aquas, vitreasq. caua de rupe, rigatq.
Perpetuo flores, vicinaq. gramina circum:
Et tellus sicco non supplicat arida cælo.
Parietibus paruis veluti FARNESIVS *arcem*
Hunc nitidum incinxit (visu mirabile) fontem.
Despectare licet latices, quibus innatat vndis
Squamea gens deuecta mari, deuectaq. multis
E lacubus, fluuijsque, leuis non præda, saporq.
Haud homini ingratus. sunt atq. sedilia viuo
E saxo circa fontem; quo ducere cenam
FARNESIVS *sæpe est solitus, uel prandia; semperq.*
Hunc circum vicina canunt auiaria dulci
Gutture, & altorum nemorum concentibus vmbras
Diuersis implent: nec apum per opaca susurri
Arbuta deficiunt. nec parua est copia florum,
Quos seruant virides ripæ fontisq. lacusque,
Prataque, fragrantesq. horti, chortisq. volucres
Rimantur valles, perq. herbida prata vagantur,
Cernere quàm suaue est gallinas ducere multos
Pascua per, densumq. nemus, viridesq. genistas,
Quorum oua incubuere, alio sed semine, pullos.
Hæ veluti tamen hos proprio de sanguine natos
Semper alunt, ætas donec iuuenilis adultos
Fecerit, & fugere edoctos, seq. abdere tectis;
Hos numquam linquunt: quin si delabitur alto
Miluius, hosq. petit dum proxima pascua carpunt,
Aut stratæ ad Solem vicina in rupe morantur;
Erumpunt clamore omnes facto agmine, & ipsos
Ceu matres passis alis, rostroq. tuentur;
Et trepidæ obijciunt in aperta pericula sese.
Sunt aliæ volucres etiam, ceu femina pauo,

Quæ

Quæ densis se se siluis abstrudit, ibiq.
Optat inaccessas latebras, quibus abdere sese
Possit, & occultis sua ponere sepibus oua.
Cum vero redit hęc consueta in tecta, reducit
Progeniem secum paruam, quæ scindere pennis
Aerium nondum audet iter. tunc rustica custos,
Credita cui volucrum cura est, nemorumq. virentum,
Lætatur spectare suo sine munere prolem
In cæli tenues auras venisse, capitq.
Hanc manibus, gremioq. fouet, dat & oscula fronti.
Turba anatum gallinam alia de parte sequuntur
Per prata, at longũ haud tempus: nã post vbi lymphas
Conspexere, ruunt alacres, & corpus in vndas
Dant iactu, haud suetæ pedibus secernere ab ipso
Puluere triticeas fruges; sed carpere pisces
Ingenio, & gelidis ætatem extendere siluis.
Quinetiam cygni, atq. anates, & candidus anser,
Prata per, vmbrosumq. nemus, vallesq. pererrant,
Pascunturq. ruat donec nox humida, & omnes
Terrarum picea inuoluat caligine tractus.
Mox subeunt viuos latices; placidumq. soporem
In medijs ducunt vndis sub nocte serena.
Pauones picea captant super ilice somnos,
Nocturni tamquam vigiles, vocemq. repente
Horrendam vnanimes subter nemora ardua fundunt,
Si forte has circum nocturnus obambulet hostis,
Insidians miseris; qui sueti nare serenos
Per soles, soliti & mœrorum scandere pinnas,
Cunctaq. tecta domus percurrere: cetera turba
Alituum sua tecta petunt diuisa sub altis
Fornicibus, quas claudit anus custodia, necnon

Villicus,

Villicus, & nati pariter, non paruula pubes.
Nemo vnquã has numerat; volucrũ nã copia magna est:
Farre anus has nutrit, sparsoq. legumine, nota
Voce vocans, cum Sol surgit, lucemq. reducit:
Et picturatas includit picta columbas
Turris, quæ Domini celsas supereminet ædes.
Hæ mixtæ alitibus viuunt, pullosq. ministrant.
Parte alia veniunt ad dulcia pocula vaccæ
Triginta numero, haud solitæ proscindere aratro
Tellurem, aut perferre iugum, neq. ducere plaustra:
Sed tantum in nitidam vitulos educere lucem,
Hosq. alere, atq. implere nouo mulctraria lacte;
Cum Sol se attollit, & cum nos vespere linquit.
Vnquam nec mensis Domini desit tepidum lac,
Non tepefactum igni, vaccæ sed ab vbere pressum.
Quid memorem celebre aucupium? cum tempore toto
Autumni, capimus volucres noctemq. diemque:
Per noctem laqueis, sub solis lumina visco:
Vnde domum portant famuli, vernæq. coronas
Turdorum, & volucres captas sub imagine noctis:
Et certis ducunt conuiuia læta diebus.
Tunc illi latices vbi Capra effundit in auras
Vberibus loca celsa petunt; illisq. Lycormas
Planiciem ingentem, vallesque, atq. oppida centum,
Montesque, variasq. vrbes ostendit, & infit:
Prospectum hunc pascentem animos en cernite, circũ
Quem tot vicini colles, siluæq. virentes
Non tollunt oculis hominum, non saxea rupes,
O socij. seges hæc partim oportuna Falerno,
Partim frumento grata est. nascuntur oliuæ
Collibus his. sunt & pecori gratissima mille

Pascua:

Pascua: sunt liquidi fontes; gratoq. per imas
Conualles gelidi labuntur murmure riui.
Cantu auium resonant ripæ; fructusq. ministrant
Agrestes nemora alta; quibus venator in vmbris
Setigeros venatur apros, damasq. fugaces.
Cannabis haud desit texendis retibus apta.
Hic lini segetes; illic nascuntur auenæ.
Sunt populi assueti belloque, & frangere glebas:
Aut Lacedæmonia membra exercere palæstra;
Et iaculo, insidijsq. leues impellere ceruos,
Inq. plagas, laqueosque, acri comitante Molosso.
Sunt & iuniperi his siluis; morusq. cruenta:
Necnon Chaoniæ, ciuilia præmia, quercus.
Hic est ferales pompas uisura cupressus:
Pinus & æquoreas perferre assueta procellas.
Hic etiam platanus nigrantes proiicit vmbras:
Punica mala tegunt altos pendentia muros,
Haud secus ac aulæa solent tegere atria Regum:
Necnon Medorum veteres referentia siluas
Citria, odoratos semper seruantia flores;
Pomaq. non gelidi metuentia frigora Cauri.
Hic myrto viret, & lauru densissima sepes,
Candida quam grauidis hedera intertexta corymbis
Implicat, in nodumq. simul complexa quietem
Dat fessis securam auibus, quæ Sole cadente,
Et surgente canunt, volitantq. hæc arbuta circum.
Hic pingues Damon sero sub vespere turdos
Captat, & agrestes excelsa in rupe palumbes.
Hinc atque hinc arguta canunt auiaria pictis
Alitibus, nox cum terras obscura relinquit.
Hic vites pretiæ, atque Apianæ vmbracula texunt,

Vua quibus croceum ducit matura colorem;
Robustus quamuis nondum flauentibus aruis
Agricola inducat messorem, & messor aristis
Supponat falcem, postquam est operatus in agris.
Parte alia semper floret silua aurea densis
Arboribus, quas iamdudum niger Alphesibæus
Circæo de colle tulit. sunt pruna Damasci,
Quæ pendent semper ramis, rubroq. colore,
Et croceo, viridique, calor dum feruet, & æstas;
Autumnusq. licet fructus collegerit omnes.
Sunt & Crustumiæ siluæ, rubicundaq. poma,
E Libyco deuecta sinu, & felicibus aruis,
Qua Sarnus liquido montem rigat amne Veseui.
Inducit circum hos hortos vmbracula palmes
Massicus, & Thasiæ procero robore vites.
Sunt varię ficus fœcundo e Tybure missæ,
Tybure maliferis cui gloria surgit ab aruis.
His hortis semper flores terra educat alma:
Namq. parit quęcumq. ferunt ea tempora in hortis,
Vere rosas, alioq. alios pro tempore flores;
Et suauem Autumno casiam, spicamq. Amaranthi;
Cæruleosq. hieme in media, brumaq. hyacinthos.
Non desunt violæ, cythisique, & lutea caltha:
Non smilax, floresq. croci, non baccharis herba;
Atq. meliphylon; Cerinthæ & gramina: cumq.
Solstitia aduentant æstiua, hibernaque, late
Ridet humus florente thymo, & bene olente per hortos
Et, mirum dictu, si vulgo copia florum
Larga thymi est, liquidi mellis portenditur ingens
Prouentus fore purpureis venturus in hortis.
His tepidis viola alba locis sata, prima nouum ver

Nuntiat ante alios flores, post tempora brumæ,
Floret at illa tamen, circumq. effundit odorem.
Tantum humana valet vis, & clementia puri
Aetheris, & terræ vbertas. nam noscere morbos
Hortorum innumeros, non cura est parua colenti;
Et quæ Solis amat radios, aut arboris vmbram,
Aut rara gaudet terra, aut fugit herba liquores;
Et quæ mane nouo, vel sero vespere fontes
Herba sitit, vel cum Solis secat æthera lampas;
Me docuit quondam a teneris Oenotrius Agmon.
Castaneæ siluam hanc seuit FARNESIVS alta
Hac specula, qua collis erat non paruus, & aspris
Cotibus, & spinis paliuri obductus acutis.
Aspice vt exurgunt procero stipite caules.
Non campen folia ipsa timent, morsusq. sequacis
Pullicis, aut gelida flauescunt cana pruina.
Hoc surgunt generosa humili plantaria colle.
Hic locus est, quo tu varijs pendere sub ipsis
Arboribus varios fructus æstate videbis;
Quorum aliquos grauis autumnus maturat apricis
Collibus; aut concreta gelu Bruma horrida crines:
Diuersisq. modis arbos est insita, quæ fert
Diuersasq. nuces, diuersaq. poma sub auras.
His impune locis vuam fert insita vitis,
Quæ fert diuersum vini genus; & rubet vua
Arboreis semper ramis; delapsa licet sint
Iam folia, & campos exurat frigus, & herbas.
Sunt Bruma hic tepidi Soles; & cum canis vrit
Icarius cælum & terras, his spirat in oris
Montanis leuis aura, æstusq. his montibus arcet.
His hortis miro positi sunt ordine flores:

Et sata quæq. suas gremio fouet area plantas.
Hic nec oportet apum cellas transferre quotannis
Ob frigus penetrale hiemis: nam terra recentes
Submittit flores nostro fœcunda labore.
Non desunt apibus violaria, flos nec Amelli,
Atq. recens apium, serpillaque, sunt & Acanthi
Vimina, nec thymbræ, nec myrti copia desit.
Hic riuus salices: tiliam, pinosq. ministrat
Vicinum nemus, & liquidis late hortus abundat
Fontibus, vt cernis, Ladon; crassæq. paludis
Non circum hos colles grauis est odor, at leuis aura;
Dulcis & has gelidis perfundit flatibus oras.
Et talpa euertens hortos his exulat oris;
Et bufo infestus semper pubentibus herbis.
Non fert helleboros, nec noxia galbana tellus,
Non taxos: non formicæ nouæ semina rodunt,
Nec mus asparagos sub terra absconditus alta.
Asper in his nostris haud horret carduus hortis:
Sed cithysus, calthæq. virent, & lilia cana.
Nocturnæ volucres hortis, & sepibus absunt;
Nec populantur aues preduro semina rostro.
Hæc dicens collem ascendit, qui plurimus horto
Imminet; & varios fructus monstrabat eunti.
Vt vero videre viri quæ dixerat hospes,
Irriguos fontes diuerso e tramite ductos,
Vicinisq. locis constructo fornice lympham
Eductam, quę florentes interluit hortos,
Et quę progeniem gignit per stagna natantum;
Consedere simul qua fons sonat Aegocrenes,
Quem circum virides vmbrę cinguntq. teguntq.
Castaneę celso pulsantes vertice nubes.

Tunc Ladon ait: O comites, nos hic locus vmbris
Arboreis circumseptus, murmurq. per auras
Rauca sonantis aquę, caueisq. inclusa volantum
Turba auium canere inuitant: sed nos vetat altum
Aethera per summa astra parans accendere Vesper,
Sideream & lucem venienti infundere nocti.
O vtinam ipse meis meritas ęquare canendo
Carminibus laudes FARNESI, atq. inclyta possem
Facta tui, quem Roma colit pulcherrima, & omnis
Ausonię tellus, & cęlo laudibus infert.
Et quoties patrijs carmen modulabimur oris,
Nunquam FARNESIAE memores gentisque, tuiq.
Non erimus: nosq. has sedes ad celsa feremus
Sidera carminibus nostris, quæ nauita longe
Audiet, & pastor habitans in montibus illis:
Et nostras littus voces vtrumq. remittet;
Vicinæq. rupes illius nomina discent;
Et repetent eadem siluarum nomina quercus,
Vos vero circum dulces saluete recessus:
Vos quoq. pampinei colles, & grata poetis
In loca, FARNESIVS vestras postquam incolit oras;
Pręcipue cum maturis flauescit aristis
Campus, & Erigones scindit canis arua, gregesq.
Vallibus in Pindi pascit prope frigida pastor
Flumina, nec cęli letalia sidera curat;
Saluete ęternum: nam vos placidamq. quietem,
Et totos sine nube dies, noctesq. serenas
Affertis domino, recipit cum fessus ab Vrbe
(Quam lymphis secat intortis vetus Albula) sese
In Caprarolę tractus, arcesq. superbas.
Quid dicam? memoranda tui sunt commoda ruris:


Quæ si quis numerare velit, velit ętheris idem
Astrorum numerare ignes, quot & induat ornus
In frondes se Vere nouo, Zephyriue sub ortu.
Interea dum nos patrias habitabimus oras,
Et lętos nemorum colles; tu maxime rerum
Omnipotens Pater hunc serua venientibus annis.
O vtinam liceat nobis redeuntibus olim
Cernere ALEXANDRVM sacrata in sede tenentem
Sceptra, quibus positas patrijs in collibus arces
Felici ditione regat, populosq. Quirini.
Finierat, cum iam passim surgentibus vmbris
Cedebat, terrasq. sua sine luce, polumq.
Paulatim Sol decedens linquebat, & oras
Oceani, Hesperiosq. amnes iam pronus adibat.

FINIS.



IN ADVENTV SVMMI PONT. GREGORII XIII.

AD ARCEM CAPRAROLAE.





ASTORVM primus, nemorumq. armenta Lycormas
Per Cimini pascens valles, & culmina; postquam
GREGORIVM sensit illuc accedere, qui nunc
Temperat immensum diuinis legibus orbem,
In Caprarolæ sedes, arcemq. superbam;
Lætitia exultans muscosa in rupe canebat,
Et tales alto referebat pectore voces:
(Dum vero caneret, iuuenum chorus omnis ad antrum
Astitit, & venti circum posuere, nec vnda
E fonte irriguo fluxit, nec garrula progne,
Aut alia assuetos cantus exercuit ales,
Mugituve truces ruperunt carmina tauri.)
Salue hominum tutela ingens, nemora ardua cuius
Aduentu circum exultant, & pastor ad alta
Sidera lætatus siluis noua carmina fundit.
Te fontes, siluæq. colunt; tibi florida prata
Submittunt varios texenda in serta colores:
Lætitia atq. alacres ludunt per prata iuuenci;
Custodesq. tenet pecudum, siluasq. voluptas.
Quàm lætor venisse diem, quem sæpe Phyletas
Prædixit quondam venturi haud inscius æui:

Pastor

Pastor erit, pingues sub quo per prata iuuenci,
Et vigili custode greges lætissima carpent
Gramina, & optatos Thyberina ad flumina somnos.
Non Auster flauas mixta cum grandine fruges
Proteret, effusum aut flumen feret hordea secum:
Nec segeti lolium, gregibusve aconita nocebunt.
Ergo purpureos in aprico colle racemos
Lætitia ostentant vites; & læta colores
Ante diem rutilos siluis pomaria ducunt.
GREGORIVM ingeminat passim per compita pubes:
Responsant gelidæ rupes, & nomen amati
Pastoris late referunt; montesq. canoras
Per siluas voluunt, & per iuga frondea voces:
Et baccis hederæ, & niuei redimita ligustri
Flore comas pubes campis incedat apertis
Rustica, & huic noua sacra canant per rura, domosque.
O superi, date nunc vati memorabile carmen;
Atq. illi maiora meis concedite votis.
Viue precor Pater alme, diu, & feliciter; & nos
(Vt facis) ęternum solito sub numine serua.
Interea his terris longum expectate, subibis
Aurea nunc mea tecta, olim loca consita dumis:
Quæ tua sunt, si me tanto dignabere honore.
Dixit vbi hæc supplex inflexo poplite pastor,
Lætitia circum fontes saliere; nouumq.
Effulsit lumen siluis, & plausibus antrum
Insonuit, sunt & dulcedine visa moueri
Gramina, & aprici flores; hortosque, domumq.
Surgentem implerunt varijs concentibus auræ.

FINIS.

IN FONTES HORTORVM CAPRAROLAE EPIGRAMMA.

HIC folia hæc inter iaculatur Capra liquores;
Atq. Irim vario lympha colore refert.

Aliud.

Quam nos Castalio fonti concedimus, hospes,
Tam fontis cedit quælibet vnda mihi.
Ars decorat structos si quos e marmore fontes,
Huic operi, & nostris cedat imaginibus.

Aliud.

Ipse ego Tyrrheni quondam maris incola Thaumas,
Nunc placida vmbrosis collibus antra colo:
Et dulces lymphas effundere lętor ab ore,
Et freta, & æquoreas deseruisse domos.

Aliud.

Cerneret vt fontem hunc Amor alta Cythera reliquit,
Fessus & ad gelidæ murmura dormit aquæ.

Aliud.

Vos quoque liquistis, pueri, Cyprumque, Gnidumque:
Et tecta incolitis regia FARNESII.

Aliud.

Vicinas liqui rupes, vt fonte recenti

Miscerem

Miscerem domino vina Capena meo:
Cum probibent hortis vaga flamina ponere mensas,
Aut niger e cælo cum cadit imber aquę.

Aliud.

Frondosis nemorum latebris succede, viator,
Qua fontis latices non grauis vmbra tegit:
Mox bibe, & hic siluis somnum cape; namq. per herbã
Vipera non errat, nec latet anguis aqua.

Aliud.

Hos latices ne accede meos, nec tange, viator;
Sanguine fœdata est si tua dextra manus.
Nostrę etenim lymphę misceri cędibus horrent:
Grataq. Amynęi munera montis amant.

Aliud.

Vespere quę virides hortos, & mane rigabat
Deducta e varijs per caua saxa locis:
Nunc domini mensis carchesia miscet; & aures
Detinet arguto garrula lympha sono.

Aliud.

Sum Cimina ante alias fama notissima lymphas,
Cærula quæ in lucem lilia sola rigo.
Namq. amat hęc dominus; clypeoq. insigne vetustum
Lilia cęruleo picta colore gerit.

Aliud.

En Satyri, Nymphęq. caua sub rupe, viator,
Plurima qua celso fornice lympha cadit.

Atq. lacum delapsa facit, ceu maximus imber;
Antraq. non paruo murmure pulsa sonant.
Hos fluit in latices decliui riuulus vnda,
Purior electro, frigidiorq. gelu.
Dum cessant latices , ludunt ceu per mare pisces:
Dumq. pluit, taciti per caua saxa latent.
Hic Satyri, & Nymphę procero corpore latis
Sustentant humeris pondera tanta suis.
Omnia quę longe demirans aduena dixit,
Rarum opus hoc struxit quis, nisi FARNESIVS?

IN FONTEM CRYPTAE FERRATAE.

SEPTENOS *peteret colles cum Iulia lympha,*
Quos vetus intortis Albula scindit aquis:
Capta loci insignis forma est, beneolentis & horti,
Et rupis, platani quam leuis vmbra tegit.
Dixit &, hic mihi certa domus: vos tecta valete
Regia: cumq. tuo Thybride Roma vale.

Aliud.

Florentes rigat hos hortos aqua Iulia, nec non
Tepula, quæ quondam peterent cum celsa Quirini
Mœnia, & alluerent septem, ceu flumina, colles,
Errauere diu iam sæuo a milite fractis
Fornicibus, has per valles, nemorumq. recessus.
At postquam in partem sedes hæc regia cessit
FARNESIO, *cum Romanam non posset ad vrbem,*

Ad patriosq. lares dulces perducere lymphas;
Hoc rarum construxit opus, geminosq. reduxit
In liquidum hunc fontem latices, hortosq. locumq.
Siluarum indigenis vna cum fonte dicauit.

Augurat opera sua fore diuturna.


Te cecini, Caprarola, procul notissima nostris
Carminibus, nitidam lucem qua Sol vehit, & qua
Discedens linquit miseris mortalibus vmbras;
Et quo Christophorus sulcans maria alta Columbus
Deuenit positas Cancri sub sidere terras;
Atq. nouum terrarum orbem, nouaq. astra retexit,
Astra prius nostris non visa, aut cognita nautis.
Te Dacus, populiq. legent, qui torrida regna,
Cyniphiasq. colunt ripas. non ipsa nocebit,
Quamuis tarda, tibi sæclis venientibus ætas.
Te tolles fama illustrem super æthera: tuq.
FARNESII æternum viues sub Principis aura.
Ipse ego in æthercam lucem prope flumina Mellę
Editus, & multis versu sat notus in oris,
Non sine laude ferar pręcinctus tempora lauro
Docta per ora virum. Cecini nam primus ad vndam
Oceani errantes diuersa per ęquora nautas:
Et fortunatas alio sub sidere gentes.
Et versa in varias descripsi corpora formas,
Post vatem, patria est cui Sulmo vberrimus vndis:
Et Leucem expositam, Daphnimq. e littore Lesbi
Thybridis ad ripas, Tyrrhena & ad ęquora duxi.
Atq. vrbem Venetam cecini; & fera bella gygantum.
Me dicente etiam fies tu nobilis inter
Ausonias arces, arx o Caprarola, tibiq.

Cedent

Cedent Pyramides, cedent & Adonidis horti,
Fontesque, interq. aerias tecta aurea siluas,
Regis opus, queis enituit Phęacia tellus.
Nam neq. marmoreis, auroq. incisa columnis
Nomina clara Ducum, doctis vel picta tabellis
Effigies vera illorum, quam pinxit Apelles,
Hos immortales faciet, si lingua silebit
Lactea scriptorum felici carmine vatum.
Et nec Pyramides, structæve in littore moles
Baiarum, iratoq. mari, quæ vertice vincant
Aera, & excisi montes, & montibus arces
Impositę haud longum possunt se extendere in æuum,
Ob varios rerum euentus, rerumq. ruinas.
Scripsisset nisi Mæonides, non clarus Vlysses
Insidijs, non eloquio Neleius heros,
Non Teucrum Aeacides terror. non facta Quiritum
Magnanimum quisquam nosset belloque, togaq.
Inclyta; scriptorum si pagina docta sileret.
Historijs alij dixere pedestribus arma
Aspera, deuictasq. acies, artemq. colendi
Tellurem; & rerum causas, aut sidera; & orbem:
Aut mutas medicinæ artes, aut ciuica iura.
Sed ne tu Caprarola time volitare per oras
Externas, simul & nostras: nam me quoq. amarunt
Ausonij vates; nec me spreuere canentem
Thybridis ad ripas, patrijve ad flumina Mellę.
Nec dubita, multos tua fama extendet in annos
Se (reor vt) si quid poterunt mea carmina, nomen,
Nomen honoratum Domini, venientibus ętas
Temporibus numquam salsa rubigine tanget.

FINIS.

AD ALEXANDRVM Cardinalem Farnesium.





OS flores, dum bruma gelu riget aspra per agros,
Dat tibi serpillo vinctos, hederaq. virenti,
Gambara fœcundi custos Laurentius horti.
Hos fouit tepidum ad Solem. Tu semper habebis
Et primos horti flores, primosq. hyacinthos,
Et tibi primitias ruris, siluæq. quotannis
FARNESI venerande feram: tu roscida poma
Autumno, mellisq. fauos sub sidere verno
Accipies, & sit rudis hæc mea pagina quamquam,
Te tamen ante alios canet, & tibi florea serta
Intexet, quoties hortos, mea regna reuises.
Hic vbi odoratos tellus lætissima flores
Educat, & dulcis cælo diffunditur aura,
Tu mecum e grauidis carpes poma aurea ramis,
Fiscellam pressi lactis tibi Romulus Alcon
Afferet, & plenis beneolentia serta canistris.
Te ruris decor omnis amat, vallesq. recuruæ:
Flumina te, ripæq. vocant; tibi florida prata
Submittent varios texenda in serta colores.
Ipse sedens molli vates Melibæus in herba
Sanguineis intexta rosis, tibi lactea nectit
Lilia, narcissum, rutiliq. comas amaranthi.

Te tuus ad liquidos fontes longæuus Amilcon
Lanigeri oblitus pecoris, rerumq. ſuarum,
Te ſolum cupit abſentem. Sed nec mihi rura
Ipſa placent ſine te, nec noſtro grata receſſu
Otia, nec Latiæ vates euoluere linguæ,
Iudice vel ſine te laudabile condere carmen.
Ne ſedes horreſce meas, licet horrida cælo
Regnet hiems : his hoſpitijs non frigora regnant:
Et nos ſublimis rupes defendit ab alto
Surgentis Boreæ flatu:tegit ardua laurus
Veſtibulum; tuguriq. fores, aditumq. patentem:
Et tibi pro Borea, gelidis pro flatibus auræ
Spirabunt: pro purpurea niue veſtiet arua
Terra parens viridante coma, tibi floribus herbæ
Halabunt, Veriſq. ferent violaria fœtus.
Grata tuis proauis tibi cęrula lilia tellus
Fundet humo, quibus æquiparet non ſe roſa, non ſe
Pubeſcens coma Narciſſi, non lutea caltha,
Quodq. legit longęuus Arabs beneolentibus aruis;
Illa geret donec clypeo domus inclyta gentis
FARNESIAE, viuentq. tui ſub numinis aura.
Non illis æſtas, nec hiems incana nocebit,
Non Aquilo, non imbriferis Notus impiger alis.
Hic vbi ſępe canit choreas, & gaudia Diuum
Zanchius : aut campos ſpatiantem narrat Alethem
Mirantem cæli tractus, atq. ętheris oras,
Et mundi verum auctorem, rerumq. parentem.
Dumq. canit, Siculus Sampſon percurrit eburno
Pectine fila lyrę, quem circum Aeneia pubes
Exultat, ſpargitq. locum fragrantibus herbis:
Et vatum chorus aſſurgit, plauditq. canenti.

Sæpe venit nostros Calaber Sirletus ad hortos,
Et tepida sub rupe sedet, qua fons sacer ima
Valle fluit, raditq. leui cum murmure rupem,
Et scelerum pœnas, & pręmia certa bonorum,
Aeterniq. patris cœlestia regna recenset.
Mox sacrę legis fontes, nodosq. resoluit,
Quos gens (infandum) gelido porrecta sub axe
Inuoluit cęcis tenebris, Erebiq. profundo.
Riuus aquę has ambit sedes, atq. aggere celso
Nocturnos arcet fures; hic margine ab alto
Pascentes per prata licet spectare iuuencos,
Quos inter certant calamis, & carmine læti
Pastores, aut certa ineunt certamina cursus:
Aut curuant arcus, & tela Cydonia torquent.
Victori assistit iuuenum manus omnis, & ipsum
Ad metam ingenti plausu deducit ouantem;
Et crines cingit sertis, & pręmia soluit.
Tunc late loca curua sonant, qua noster agellus
Aurea prospectat vicina palatia cęlo,
Nec non Mygdonio surgentem marmore fontem:
Romanę decus Vrbis, & ingens munus IVLI.
Parte alia, qua decurrunt Aniena fluenta,
Dulcia formosi miraberis otia ruris.
Esse etenim non vrbe potest, rerumq. tumultu,
Vt ruri Ver purpureum: tu namq. videbis
Post vbi te, comitesq. tuos mea tecta tenebunt
Ire dies alios, alium lucescere Solem;
Et dices, Valeant vrbes, & tu quoq. Roma.
Omnia quę nunc sponte tuus tibi Gambara dono
Concedit, Dominumq. facit florentis agelli.

FINIS.

